

147

DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
F L U V I O

תְּהִימָּה

IN LIMITE TERRÆ PROMIS-
SIONIS SEPTENTRIONALI
AD ILLVSTRANDVM LOCVM
GEN. XV. 18.

QVAM
D. A.

ILLVSTRI ORDINE PHILOSOPHICO CONSENTIENTE
PRÆSIDE

M. JOHANNE OLDERMANN
RAVENSBERGA - WESTPHALO
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
EXPO·NIT
A. ET R.

CHRISTOPH. JACOB. Blum
BRVNSVICENSIS

SS. THEOL. ET PHILOL. CVLTOR
AD DIEM XXX. JAN. ANNI MDCCXII.

HORIS CONSVENTIS

IN NOVO AVDITORIO PHILOSOPHICO.

—
HELMSTADII
LITERIS HAMMIANIS.

a LX.XX.XV. 28.

Coll. diss. A
85, 28



ИАМЯДЛЬ ВИНАГОЛ

ОИСКИВАНИЯ 1594-1604

ПАРИССКАЯ БИБЛИОТЕКА

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ



CARISSIMO SUO DOMESTICO
ET AUDITORI
CHRISTOPHORO JACOBO BLUMIO
HERMANNUS von der Hardt.

Verbi divini interpres futurus facis quod te dignum,
ut variarum artium culturam cum scientia bonos re-
censendi autores mature conjungas. Philosophiae &
Philologiae commercium blandum & familiare tibi dul-
cescit, qui otium nescis, scopum intueris, & futuræ in Ecclesia
functionis pondera ex præsenti cura & diligentia metiris. Au-
tores quo scunque, exterios & sacros, recte intelligendi & digne
interpretandi scientia, quæ Philologiae nomine venit, res est
magna, res ardua, res ingenii, judicii, multæ experientiæ & lon-
gi usus. Hæc disciplina potissimum studiorum anima, sacro-
rum nervus, scholarum labor, Academiarum opus, suggestorum
negotium, omnium functionum exordium & meta. Poëtæ, Ora-
tores, Historici, Græci & Latini, primæ & solidæ institutionis
fundamenta, rectores poscunt philologos. Omnis cathedra Aca-
demica, in recensendis doctorum scriptis ac veterum monumen-
tis occupata, philologiam postulat ducem, sine qua mutila pleraque
& manca, obscura & implicata. Docet infeliciter, philologiæ
expers. Autorum recensio, præter curatam variarum lingua-
rum notitiam, historiam requirit veterem, geographiam vete-
rem, profundos antiquitatum recessus, intima artis dicendi pe-
netralia, affectuum humanorum gyros, sanguinis motum, atque
omnem

omnem mentis vim. In sacris præsertim voluminibus intelligendis atque explicandis, Philologiæ nervi adhibendi validi & robusti. Nec Mosis solum brachia sufficiunt pro fontibus aperiendis, sed & Davidis opus lacertis ad obvios ursos & leones debellandos. Sacra Philologia exteram comprehendit universam, totius orbis & antiquissimi ævi res gestas, Geographiæ remotæ circulos & limites, scriptorum omnis generis atque ordinis indolem, autorum consilia & affectus, stylum uterum sublimem, obliquum & tectum, apertum & planum, mores gentium, mitiorum & barbararum, cœlum terramque mundi prisci. Tam vasta rerum moles in Philologi manibus, oculis & mente, ubi vel minimum antiquum interpretaturus monumentum. Illorum excors, frigidus, ineptus, & inconditus interpres, in autorem recensendum non magis ac lectors auditores ve iniquus. Hæc animo veras, Cultissime Blumi, divina scripta in Ecclesia recensiturus. Curas ista sedulo & tempestive, ne cum tempore spes proficiendi elabatur. Historiæ & Geographiæ antiquæ recessus inspicis & scrutaris gnaviter, ut recondita Mosis & Prophetarum monumenta penetres, illis explicandis aptus evansurus. Testaris studium, industriam, contentionem, solertiam, desiderium, indagine verorum limitum terræ sandæ, in quibus Prophetas audias & devote complectaris. Made hac virtute! Deus te servet studiis & Ecclesiæ commodis! Scrib.
Helmst. A. MDCCXII. die Vincentii,
22. Januar.

Fluvius



152

Fluvius פַּרְתָּה, in limite terræ promissionis
Septentrionali, non est Euphrates.



§. I.

Eographia, Philologiæ subsidium est præstantissimum, usumque habet longe maximum, tum in profanis antiquis Scriptoribus tum etiam *sacris* enodandis. Plurima *scripta*, Veterum præsertim, non intelliguntur satis sine ampio hujus adminiculo, quin potius tenebris adeo spissis involuta, ut, quo pedem figas, quove progrediaris, nescias. Et Sacræ Scripturæ interpres millies dubius hæret, in libris historicis pariter ac propheticis, quippe in quibus *difficultates pene innumerae*, non aliter, quam ope *Geographiae veteris dirimendæ*. Quas si hujus rei rudis explanare sustineat, non potest non gravissimos errores committere, contradictionibus item & interminatis præjudiciis præbere ansam.

§. II. Nobilissimæ igitur hujus disciplinæ usum cum agnoscerent Philologi præstantissimi, laudabili studio in id incubuerunt, ut *sacri codicis Geographica* vel integris voluminibus illustrarent. Horum conatus uti summopere laudandus, ita fatendum est, eosdem

A

- Rabbi-

152

Rabbinorum autoritati plus æquo deferentes, in multis graviter impedito. Examinanda igitur a posteris singula, & si qua licet, meliora afferenda. Quo quidem privilegio & nos usi, ostendere conabimur, perperam ab Interpretibus ad Euphratem, majorem illum Asiæ fluvium, terræ promissæ limites extendi. Quam quidem tractationem in duas partes dispescemus, ut primum ostendamus, in designatione limitum vocabulo פְּרָת nequaquam Euphratem illum intelligi posse; deinde indagemus, quinam ergo sit ille fluvius; rationes dubitandi potissimas, prout sese offerent, refutaturi.

§. III. Paradisi fluvium פְּרָת, & singula loca, quæ de fluviosis ejusdem nominis agunt, tangere, nec scopus, nec instituti præsentis patitur brevitas; quare illa tantummodo seligemus, quæ Cananææ limites diserte designant. בַּיּוֹם הַהוּא כָּרֶת In his celebris est locus, Gen. XV. 18. יְהִוָּה אֶת אֶבְרָם בְּרוּת לְזַרְעָךְ נָתַת אֶת הָאָרֶץ הַזֹּאת מִנְחָרְךָ מַצְרִים עַד הַנֶּהָר חַגְרָל נֶהָר פְּרָת Hoc tempore pepigit Deus cum Abrahamo fœdus, dicens: Semini tuo do terram hanc, a flumine Ægypti, ad flumen usque magnum, flumen nempe Pbrat. Interpretes, quotquot quidem nobis evolvere licuit, ad unum omnes, Judæi pariter ac Christiani, vocabulo פְּרָת Euphratem, majorem illum Asiæ fluvium securi intelligunt, adeoque hoc loco amplissimam regionem, ab Ægypti finibus ad Euphratem usque excurrentem, a Deo Abrahamo e-jusque posteris promitti, incauti existimant. Qua minus circumspæcta explicatione labyrintho sese imprudentes immergunt inextricabili, aliisque clarissimis Scripturæ effatis, ut Num. XXXIV. palam contradicunt,

Cuncti

(3)

cunt, ubi *longe citra Eupratem* promissam Israelitis hæreditatem ipse Deus citra dubium definit. Non nulli interpretum hæc dubia, quæ cuivis non possunt non suboriri, ast formidant, ne quidem tangunt; alii, quo sententiam suam quomodounque tueantur, diversos & geminos comminiscuntur fines, atque etiam alia æque desperata; quæ tamen hypotheses vel falsæ sunt, vel novos, eosque gravissimos pariunt scrupulos. Hæ *difficultates omnes*, quemadmodum non aliunde quam ex communi vocis *פרת de Eupratre* explicatione natæ, ita eadem sublata erronea hac opinione tolluntur.

§. IV. Ut vero genuinum adducti loci sensum eruamus & ostendamus, *Eupratem hic nequaquam intelligi posse*, sollicite idem exutius, & cum aliis Scripturæ effatis conferendus. De terra Cananæa sermonem esse, nemo facile dubitaverit, & luculentius etiam constat ex capitibus antecedentibus. Postquam enim Moses *Gen. IX.* Chami delictum recensuerat, addit statim maledictionem a Noacho contra Canaanem, Chami filium, promulgatam, qui ab omni terræ, bonorumve hæreditate atque possessione exclusus, abjetissimus in omni posteritate fratribus suorum esset servus. Atque ita quidem generatim declarat *Semi & Japeti*, in *Cananæorum bona terras ve, jura*. Deinde *cap. XI.* ostendit Abrahami, Israeliticæ gentis Patris, originem, quippe qui non ex maledicto Canaane, sed Se mo, cui Noachus benedixerat, sit oriundus. Denique cum optimus, ac tutissimus atque innocentissimus acquirendi titulus sit donatio Dei, rerum omnium

A 2

domi-

(4)

domini, cap. XII. exponit, quomodo speciatim *Abrahamo*, ejusque posteris *destinatæ fuerint sedes, quas servi Cananæi occupaverant.* Patriarchæ enim huic ex Mesopotamia in terram Cananæorum profecto apparuisse dicitur Deus, addita benignissima promissione: לזרעך את הארץ הזאת Semini tuo dabo terram hanc. Non alias hic divinum Numen pollicetur *sedes*, quam *Cananæorum*, inter quos tum degebat, quosve olim Noahus abjectissimos servos declaraverat, qui sedibus suis expulsi omni privarentur dominio. Postmodum ex Ægypto, quo eum annonæ caritas compulerat, in *Cananæam redux*, eandem cum numerosa prole consecutus est promissionem: ויהוה אמר אל אברהם אחרי הפלר לוט מעמו שא נא עיניך וראה מן המקום אשר אתה שם צפנה ונגבה וקרמה וימה: כי את כל הארץ אשר אתה ראה לך אתתננה ולזרעך עד עולם: *Deus edixit Abrahamo, postquam sese Lot separavisset ab eo: Attolle nunc oculos tuos, et circumspice ab isto loco, ubi es, ad Septentrionem, et ad Meridiem, et ad Orientem et Occidentem versus. Nam totam hanc regionem, quam vides, tibi daturus sum, et semini tuo usque in seculum.* Gen. XIII. 14. 15. Neque ultra supereft dubitandi ratio, quin ejusdem terræ quoque Gen. XV. 18. hæreditariam possessionem promissam intelligamus. Nullum certe aliud intercedit discrimen, quam quod h. l. *geminus fluvius in finibus Palæstinæ* moretur, cum superius nulla limitum facta effet mentio.

§. V. *Amplitudo* igitur *Cananææ* hic procul omnī dubio describitur, ita, ut *fluviorum alter eandem ab Austro terminet, alter a Septentrione. Australis terminus Num. XXXIV.* describitur plenius, ducta linea ab extre-

32. J. 5.

ab extremitate lacus Asphaltitæ, juxta desertum Zin
 & Cades Barneam, ad fluviū usque Ægypti, qui Jos.
XIII. 3. Schichor dicitur, atque in finib[us] Ægypti prope
 Rhinocoruram in mare mediterraneum se exonerat.
 Urbs enim b[ea]c, quam alii Rhinocoluram appellant,
 Ægyptum a Syria distinguit, teste Strabone lib. **XVI.**
 p. 781. edit. Casaub. Ρινοκόλυρα τῆς ϕεγγὸς Ἀιγύπτων Φοινίκης.
Rhinocolura, quæ in Phœnice est, juxta Ægyptum. Quod
 distinctius explicat Diodorus Siculus lib. I. cap. **LX.**
 ἀυτὴν καὶ μέσην τοῦς μεθορέους τῆς Ἀιγύπτου καὶ Συρίας, εἰ
 μάκρων τῷ παρέπικοτος αἰγαλῷ. *Hæc sita est in confinio Ægypti & Syriæ: b[ea]ud procul a vicino littore.* Raschi &
 Kimchi, quos nonnulli Christianorum interpretum temere sequuntur, hallucinantur hic gravissime, dum
 fluviū Ægypti, Nilum esse existimant, utpote quia Palæstinæ limite longius remotus in media Ægypto fluit. Quæ vero ultra hunc fluviū inter Rhinocoruram & Nilum continentur, extra sortem promissæ terræ sunt, & vel ad Idumæam, vel Arabiam, vel Ægyptum spectant. *Terminus igitur Australis est Sichor,* aut fluviū Ægypti; *Cui cum opponatur alter fluviū פרת*, colligitur eundem esse terminum septentrionalem. Certe Occidentalis, qui est mare Phœnicium, huc trahi non potest. Idem de Orientali plaga fateantur necesse est interpretes, qui ceteroquin ad Euphratem terræ promissæ fines extendunt. Nam *Moabitis & Ammonitis*, quæ regiones Israelitis expresse denegatæ, Deut. II. objacent, item plures alii *Arabiæ* populi ad *Hermonem* usque montem, ubi *terminus Septentrionalis & Orientalis concurrunt.* Propterea plerique, ut Euphra-

(6)

tem suum tueantur , existimant , quotiescunque in designatione limitum vocabulum פָּרָת occurrat , non linea recta describi Palæstinæ amplitudinem ab Austro in Septentrionem , sed linea diagonali ab extremitate ostii torrentis Ægypti ad Jordanis fontes , & ita porro ad Euphratrem . Qui quam parum linea hac obliqua proficiant , vel ex eo liquet , quod etiam ab hac parte ultra Jordanis fontes , & montem Hermon , præter plurimas celeberrimas urbes nunquam promissas , Arabiæ desertæ & Palmyrenes solitudines , circa Euphratis littora , Septentrionem versus longissime protrahantur , ut infra pluribus ostendetur .

§. VI. *Longitudinis* hujus ab Austro in Septentrionem frequentissima in sacris literis est descriptio , quotiescunque scriptores sacri universum Israelem complecti volunt . Ita Num. XIII. 21. viri tribuum primarii , a Mose in Cananæam missi , eandem explorasse leguntur , מִמְּרַבְּרֵךְ צָן עַד רֹחֶב לְבָא חֶמֶת a deserto Zin ad Rechob , fines ve Chamathæ . Item Davides , arcam fœderis ex Kiriath Jearim Hierosolyma deducturus , collegisse dicitur universum Israelem וְעַד מִצְרַיִם מִן שִׁיחָוֹר מִצְרַיִם וְעַד לְבָא חֶמֶת a Schichor Ægypti ad fines Chamathæ , I. Chron. XIII. 5. Hujus successor Salomo , cui florentissimum imperium contigit , templum a se exstructum initians , festum septem dierum celebravit cum universo Israële , מלכוא חמת עד נחל מצרים a finibus Chamathæ ad torrentem usque Ægypti , I. Reg. VIII. 65. II. Chron. VII. 8. Neque cuiquam facile ignota fuerit toties in sacris literis recurrens formula מִן וְעַד כָּאֵל שְׁבֻעָה a Dane usque ad Beersebam . Quæ locutiones omnes similesve , tametsi

(7)

tametsi verbis discrepare videantur, re tamen ipsa inter se conveniunt, eandem *Palæstinae longitudinem* designantes. Quemadmodum enim urbes *Rechob*, *Chamatha*, & *Dan* in extremis sitæ *Septentrionis finibus*, ita e contrario *desertum Zin*, *Schicbor*, siue *torrens Ægypti*, & *Beerseba*, australem terminum constituunt.

§. VII. Cum vero hæc *limitum determinatio* admodum concisa videri possit, nec sufficere ad eosdem curate dignoscendos, in subsidium erunt vocanda loca, in quibus iidem luculentius designantur. Dum Moses genealogiam posteriorum Noachi Gen. X. contexit, atque inter hos etiam enumerat ex maledicto *Canaane oriundos*, distincte *amplitudinem sedium*, quas occupaverint, declarat hisce verbis, וְיָהִי גָּבוֹל הַכְּנָעָנִי מִצְרָיִם, בָּאָכָה גְּרָרָה עָרָה עֵזֶה בָּאָכָה סְדֻמָּה וְעַמְרָה וְאַרְמָה וְצָבִים עָרָה לְשָׁעָה Et fuit terminus Cananæorum a Zidone, qua venis Gerarum, Gazam usque, qua venis Sodomam & Gomorram. Adamam & Zeboim, usque ad Lascba. Harum urbium posteriores, Sodoma, cert., quæ justo Dei judicio postea combustæ, spectant ad terminum Orientalem, Gerar vero & Gaza ad Australem & Occidentalem, Sidon denique ad Septentrionalem. Gerar quidem, sedes quondam regis Abimelechi, & commoratione Abrahami atque Isaaci celebris, sita circa Beersebam in confinio solitudinum Cadesch & Zur, quarum altera secundum Geographos Arabiam Petræam spectat, altera Ægyptum Gen. XX. i. Gaza vero urbs ex sacris literis notissima, quæ adscripta est tribui Judæ, Jos. XV. 47. & occupata ab eadem legitur, Jud. I. 18. Fuit autem Pentapoleos Philistinæ versus Ægyptum extrema, ejusque ditione

ditio protensa ad torrentem *Ægypti*, quem paragrapho priori terminum *Cananæe Australis* diximus. Arrianus libr. II. de Alexandri expeditione eandem describit: Μεγάλη δὲ πόλις ἡ Γάζα ἡν., καὶ θῆται χώματος ὑψηλὴ φυῖσο, καὶ τεῖχος αὐθεντικός αὐτῇ ἀχυρόν. Ἐπάντη δὲ ὠκεῖτο, ὡς ἐπ' Αἰγύπτιος ἐκ Φοινίκης ἵεται, θῆται ἀρχὴ τῆς Ἑρήμου. Urbs vero ampla *Gaza* est, & in colle sita, validoque muro circumdata. Ultima autem colitur, si ex Phœnicio in *Ægyptum* tendis, ad initium solitudinis posita. Ptolemæus, Geographus alioquin celeberrimus, urbem hanc *Ægypti* finibus non adeo vicinam tradit, Gazæorum portum inter Azotum & Ascalonem collocando, libr. V. cap. XVI. verum, si textus hic autoris incorruptus, hallucinatur, & Itinerario Antonini, Straboni, Plinio, aliisque contradicit. *Strabo* quidem libr. XVI. pag. 759. expresse asserit: Εἴθ' ὁ τῶν Γαζαίων λιμὴν πλησίον. ὑπέρκειται δὲ καὶ ἡ πόλις ἐν ἐπίκα ταδίοις — Μετὰ δὲ Γάζας Ραφία, εἰς τὸ μάκρη συνέβη Πτολεμαῖος, το τῷ πεδέτῳ, καὶ Αντόχῳ τῷ μεγάλῳ. Εἶται Ρινοκόλαρε καὶ τ. λ. Deinde (post Ascalonem) Gazæorum portus vicinus est, paulo supra portum vero ad septem stadia urbs sita est — *Gazam* sequitur *Raphia*, ubi Ptolemæus quartus cum Antiocho magno pugnavit. Postea Rhinocolura cet. Sidon denique, terminus *Cananæe Septentrionalis*, urbs est Phœnices maritima, ampla admodum & potens, ut propterea *Jos.* XI. 8. רְבָה magna vocetur. Ex Geographorum confensione eadem sita inter Berytum & Tyrum *Ptol. lib. V. cap. XV.* Item *Strabo lib. XVI.* Μετὰ δὲ Βηρυτὸν ἔτι Σιδὼν ἔσσον ἐν περιστοσίοις ταδίοις — Μετὰ δὲ Σιδὼνα μεγίση τῶν Φοινίκων, καὶ δέκαιοτέττη πόλις Τύρος ἔστιν κ. τ. λ. Post Berytum est Sidon quadrin- gentis

٥٦١

*gentis fere stadiis ab ea distans. — Post Sidonem maxima
et antiquissima Phœnicum est Tyrus, cet. In hujus etiam
confinio secundum eundem Strabonem incipit Antili-
banus, qui in sacris לְבָנָן dicitur, & prope Arabiæ mon-
tes, qui supra Damascenæ sunt, & montes Tracho-
nitidis, desinit. Hæc igitur urbs, cuius adhuc hodie
rudera supersunt sub nomine Said, vel Seyde, & adja-
cens mons Antilibanus, genuini sunt terræ promissæ
septentrionales limites.*

§. VIII. Quod luculentius adhuc evincitur, ex pleniori limitum descriptione & urbium in hisce li-
mitibus sitarum recensione, Num. XXXIV. 7. 8. 9. facta.
וְהַיְהֵ לְכֶם גְּבוּל צִפּוֹן טָן הַיּוֹם הַגָּדוֹל תִּתְאֹו לְכֶם הַר הַהֲרָה:
מֵהַר הַהֲרָה תִּתְאֹו לְבָא חַמְתָּ וְהַיּוֹ תְּזַצְּאתָ הַגְּבָל צְרוֹרָה: וַיֵּצֵא
הַגְּבָל זְפָרָנָה וְהַיּוֹ תְּזַצְּאתָיו חַצְרָ עִינָן זֶה יְהֹוָה לְכֶם גְּבוּל צִפּוֹן:
*Hic vero esto vobis terminus Aquilonaris, a mari magno
vobis definitote Horem montem. Ab Hore monte defini-
tote, qua itur Cbamatham, sintque exitus illius termini
Zedadi. Et procedente eodem termino Zipbronem, erunt
exitus illius Chazar Enanis: Hic esto vobis terminus
Aquilonaris. Eosdem limites, qui Gen. X. concise in-
dicantur definit hic ipse Deus luculentius, atque Israeli-
tis præcepto inculcat, v. 2. et 12. ne scilicet eosdem
transgredarentur, aut in vicinos populos denegatos ar-
ma moverent. Incipit autem hic terminus Septentrio-
nalis a mari magno sive mediterraneo, quod cetero-
quin Palæstinam ab Occidente ambit. Geographis
specialius audit mare Syriacum, vel Phœnicum a Phœ-
nice, quam alluit; magnum vero dicitur respectu lacuum
Asphalitæ & Genezareth, qui Hebræis etiam maria*

B

appel-

(10)

appellantur. Non expressa quidem in textu allato fit mentio Sidonis, ex *Gen. tamen X. cap.* constat, in hujus finibus termini initium ponendum esse. Quod נְכַח לְבוֹא חָמָת *Ezechielis XLVII. 20.* definitur *e regione finium Chamathæ.* Ab his finibus in ortum ad montem *Hor* terminus procurrit. Circa cujus situm interpretes & Geographi recentiores admodum variant, cum vetustiores, Ptolemæus & Strabo, eum non attingant, nec voci huic conveniens nomen adhibeant. Nonnulli hic promontorium intelligunt sub Sidone, quod quidem non definimus, cum expressa textus litera majorem a littore maris distantiam requirere videatur. Munsterus aliique eum montem hic indigitari suspicantur, cujus antea frequens fuerat facta mentio, & in quo Aaron diem obiisse dicitur *Num. XX. 27.* Sed perperam, cum *Hor*, *Aaronis morte memorabilis*, sit *Arabie Petræ mons*, in finibus Edom, non procul a termino Cananææ Australi. Propius scopum tetigeris, si *Antilibani quendam collem* hoc nomine intelligas, eundem enim *prope Sidonium mare initium capere* ex Strabone ostendimus.

§. IX. Indeterminus dicitur לְבָא חָמָת *versus Chamatham*, quod nomen & urbem, & ditionem urbi subiectam notat. Interpretes non incelestres geminam hujus nominis urbem intra Libanum faciunt, sed citra rationem cum singula Scripturæ loca de una eademque limitanea urbe commodius exponantur. *Chammat* autem alias *tribui Naphtali adjudicata Jos. XIX. 35.* huc non pertinet, cum longe a finibus remota sit, vel ipsa in gremio Palæstinæ *Tiberias* pro recentiori appell-

(ii)

appellatione, quæ secundum Plinium lib. V. cap. XV. aquis calidis salubris, vel prope eam. In situ nostræ limitaneæ Chamathæ definiendo Judæorum veteres æque ac recentiores quam longissime aberrant, utpote Geographiæ suarumque rerum maximam partem rudes. Fabulatur certe Jonathan Chaldæus dum *Chamath* אנטוכיה Antiochiam transtulit, Num. XIII. 21. Eundem errorem fovet Raschi in Commentario suo ad Amos i cap. VI. 2. dicens: קָרְנוֹבָלִי כָּלֵבֶת Cujus sententia falsitas vel inde elucescit, quod *Chamath* dicto Numerorum loco conjungatur cum Rechob, urbe *cis Libanum*, in finibus tribus Aser sita. Ergo Chamatha quoque prope Libanum fuit, nec procul a finibus Aser reducta. Quinimo ipse Josephus lib. III. Antiq. Judaic. cap. XIII. hunc situm innuit, de exploratoribus a Mose in Canaanæam missis, dicens: Τότε πειπάθησα πόλιν καὶ λίβανον ἀφικενῆται τὸ ὄρος, τενεροῦται ad Chamatham urbem εἰς Libanum montem. Constat itidem ex Zach. IX. 2. & Ezech. XLVII. 16. 17. quod confinis fuerit Damasco, & terræ Hadrach, locis longo traetu ab Antiochia dissipatis. Antiochia enim, quæ Epidaphnes cognominatur, ad Orientem fluvium in Seleucide sita, non in finibus terræ promissæ. Quid? quod & recentior est, longe post Mosis & captivitatis quoque babylonicae tempora a quibusdam Macedonicæ gentis principibus exstructa, docente Strabone lib. XVI. pag. 750. Εἴτε δέ τοι μὲν λυπόχεια, καὶ αὐτη περιεπολις, ἐξ πεπάρωτ συνεσῶσα μερῶν. τετέλειχισα δὲ καὶ ποιηῶ τέλειχα καὶ ιδίω καθ' ἔκαστον τὸ κτίσμα. Τὸ μὲν δὲ πρῶτον αὐτῶν ὁ Νικάτωρ συνώνισε, μεταγεγένετο δὲ τῆς Αντιγονίας τὰς οἰκήτορες, την πλησίον ἐτέλειχισεν Αντίγονος ὁ Φιλίππη μικρῷ

B 2

πλευρῇ.

τεργάπερν. τὸ δὲ δεύτερον τὸ πληθυς τῶν ἀκητόρων ἔστι κτίσμα.
 τὸ δὲ τρίτον Σελέουκος τὸ καλλινίκος; τὸ δὲ τέταρτον Αντοχής τὸ^{επφανής.} *Est autem Antiochia & ipsa tetrapolis, seu urbs ex quatuor partibus composita, quæ & singulæ suo & communi omnes muro sunt circumdatæ. Primam partem Nicator condidit, habitatoribus ex Antigonia traductis, quam pa-
 lo ante Antigonus Philippi filius in propinquo construxerat: secunda pars condita est a turba inhabitantium: tertia Se-
 leuci Callinici; quarta Antiochi Epiphanis opus est. Ex quo denuo apparet, quas Judæi ineptias & quam cras-
 sos errores in Geographicis committant, præcipue, si de amplitudine Palæstinæ sermo sit. Non melior est altera sententia, quæ Epiphaniam statuit & Josepho lib.
I. Antiq. Jud. originem debet: Αμάθος δὲ Αμάθην κατώ-
 κησε, ἥπερ ἐστι καὶ νῦν τὸ μὴ τὸν θηριωρεῖσαν Αμάθη καλεομένη,
 Μακεδόνες δὲ αὐτὴν Επιφάνειαν αὐτὸν εἶνας τῶν απογόνων ἐπωνόμασαν.
*Amathus autem Amatham habita vit, quæ adhuc exstat, &
 ab indigenis Amathe vocatur: Macedones vero eandem
 a quodam suæ gentis Epiphaniam vocarunt.* Quamvis
 vero opinionem hanc amplexi sint Hieronymus, Bo-
 chartus, aliquique clarissimi Viri, atque Epiphania etiam
 magis propinqua sit, quam Antiochia, situs tamen
 discrepat, quo minus pro Chamatha nostra venditari
 possit. Urbs enim hæc, ut diximus, *ad Libanum*, quæ
 pars profanis scriptoribus Antilibanus dicitur, *in con-
 finio tribus Afer* est, *non procul ab urbibus Recob,* atque
Dasco, ut commode in finitione Palæstinæ loco Da-
 nis & fluvii פְרַת adhibetur. Epiphania vero in Se-
 leucide Strabonis aut Ptolomæi Casiotide ad Orontem
 fluvium sita, & longius ab Antilibano ac Damasco re-
 ducta*

ducta est. *Chamath* seu *Chamath-Rabba* ad Libanum, haud longe a finibus Palæstinæ, apud sacros scriptores non minus clara, est *Heliopolis*, quam Ptolemæus in Syria Cœle & Damascenes finibus recte collocat lib. V. cap. XV. Herodoto *Amathus* dicta, atque proinde inter Palæstinæ limites referri debet, a quibus ultra Libanum non recedit. Eadem prope Libanum fuit, in Syriæ finibus, autore Plinio, lib. V. cap. XII. *In ora*, inquit, amnis *Orontes* natus inter Libanum & Antilibanum juxta Heliopolim. Quod Sozomenus confirmat lib. V. cap. X. οἱ τὴν ωρὶς τῷ λιβάνῳ ἡλιόπολιν, καὶ τὴν Αρέθουσαν τῆς Συρίας δικτύπες, qui Heliopolim, quæ ad Libanum est, & Arethusam Syriæ inhabitant. Hæc igitur celebris illa urbs Chamath, Amathus, Heliopolis, quæ Cananæam a Septentrione claudit.

§. X. Quæ in textu adducto finitima alia vicina sequuntur loca, nempe *Zedada*, *Siphrona* atque *Chazar Enan*, non ita celebria alibi sunt, quibus majorem lucem alias accendere constitutum. Interea quisque intelligit, determinatum situm, quem Adrichomius, aliique Geographi cuilibet loco assignant, incertum esse, aut saltem non adeo curatum. Citra omnem tamen dubium est, singula loca intra Libanum, nostram Chamatham atque Damasci fines subsistere. Quæ quidem finium notitia nobis abunde sufficit ad demonstrandum, *Euphratem*, majorem illum Asie fluviūm, in Palæstinæ finibus nequaquam esse.

§. XI. Quod si nunc & *Josuæ expeditiones* consulamus, qui quidem divinitus erat constitutus, ut terram promissam occuparet, eandemque tribubus sorte

164

partiretur; manifestum est, eundem *limites supra indicatos nunquam esse transgressum*. Scilicet Hierichunte capta, ad urbem Ai progressus, & longe lateque tam Austrum versus, quam Boream victoria sua arma circumtulit. Deinde prælio ad aquas Merom commisso cum variis regibus, Septentrionalis Cananææ dominis, eosdem in fugam versos *ad Sidonem usque prosecutus est, Jos. XI. 8.* terraque subegit *usque ad Baalgad sub monte Cbermon, non procul a Libano v. 17.* Nec tamen omnes terræ promissæ & a Deo Israëlitis destinatæ partes vivo Josua sunt occupatae, ob ducis ingraucentem ætatem & diuturna bella, quæ cum aliis regibus intercesserant. *Jos. XI. 18. XIII. 1.* Terra vero, quæ subigenda restabat, distincte recensetur *Jos. XIII. 1. & seqq.* neque limites a Deo & Mose positos exceedit. Quæ si jungantur reliquiae cum terra a Josua occupata, emergunt limites superius explicati.

§. XII. Versus Boream reliqua erat *Sidoniorum* והארץ הנכלי וכל הלבנון מזרח המשמש מבעל גן תחתditio הר חרמון עד לבוא חמת: *Terra etiam Giblæa & totus Libanus ad ortum solis, a Baalgade sub monte Chermonis usque ad fines Chamathæ.* Terra Giblæa, cuius hoc loco mentio fit, non est referenda ad Gabalam urbem Syriæ, quam Ptolemæus, Strabo, & Tabulæ Peutingerianæ inter Laodiceam & Palton ponunt. Neque huc trahendi Byblii antiquissimi Phœnices populi, quos Masius censet, adductus versione Græca *Ez. XXVII. 4.* Alteram enim Ptolemæus *Gabalam in Phœnico memorat inter Palæbyblum & Cæsaream Panæ* libr. V. cap. XV. quæ *juxta Tyrum sita in limitem Palæ-*

Juli 6.

Palæstinæ cadit , atque hoc loco commodissime intellegitur. Hujus etiam incolæ innui videntur *Ez XXVII.*
4. quippe qui *Tyriis vicini* , iisdem in navigiis exstruendis operam suam navare poterant.

§. XIII. Deinde post terram Giblæam sive Galalæam *Libanus* quoque supereft , nempe accolæ ejus partis , quam profani Scriptores Antilibanum vocant , qui extenditur ad *Arabiæ Trachoniosve montes* , qui intra Damascenen sunt. Ita enim & hæc pars a Geographis recentioribus appellatur , & in sacris literis passim nomine *לְבָנָן* celebris est. Intelliguntur autem tum illi , qui ex ea parte *montem* incolunt , qua *Sidonem* respicit , quam qui eundem ex altera parte e regione montis Chermon & Paneadis ortum versus in finibus Chamathæ & Damasci meridionalibus inhabitant. Baalgad denique præstantissimis Philologis civitas fuisse videtur in planicie , quæ Libanum & Chermonem montes ab invicem separat.

§. XIV. Quamvis vero universa promissionis terra nondum esset subacta , eandem tamen Josua ante vitæ finem ex divino præscripto Israëlitis partiebatur. In qua quidem distributione *Boreales Cananææ partes* tribubus Aser & Naphthali adjudicatæ sunt , illi quidem maritimæ usque ad *Sidonem magnam* & *Libani radices* , huic vero mediterraneæ circa Jordanis originem. In his tribubus urbes villæque plures recensentur *Jos. XIX. 24.* & seqq. inter quas observanda est gemina Rechob , quarum nostra eadem cum illa , cuius incolæ Ammonitis suppetias laturi a Joabo cæsi leguntur , *II. Sam. X.* Fuerunt enim nonnullæ urbes , ut *exemplo*

266

exemplo Tyri atque Sidonis constat, ad Cananæam utique spectantes, adeoque Abrahamo etiam promissæ, ab Israëlitis tamen postea certo Dei iudicio ægre aut serius occupatæ. Josephus quoque antiquitatum Judaicarum conditor, tribuum limites in epitome quasi sistens eosdem Aseris & Naphtali terminos designat: *Quæ autem regio post Carmelum sita est, convallis cognominata ex ipsa re (κοιλὰς τεσσαρευομένη) tota Aseritis cessit, qua ad Sidonem est obversa (η οὖτις Σιδῶνος περαμένη)* In bac portione urbs Arce, alio nomine Ecdippa. Quæ vero orientem spectant usque Damascum urbem, & superior Galilæa, Naphtalitis obtigit usque Libanum montem, & Jordanis fontes, qui ex hoc monte oriuntur, quæ fines sunt Arces urbis septentrionem versus sitæ. libr. V. cap. I.

§. XV. In hisce finibus notatu digna est civitas Dan, de qua trita exstat formula: *Omnis Israël a Dane usque ad Beersbam.* Existimant nonnulli eandem esse Paneadem sive Cæsaream Philippi in N. Testamento celebrem, *Matth. XVI. 13. Marci VIII. 27.* & juxta Jordanis fontes positam. De quo quidem dubitari potest, cum Hieronymus in locis Hebraicis easdem diserte distinguat: *Dan, inquit, viculus est in quarto a Paneade milliario distans, euntibus Tyrum, qui usque hodie sic vocatur, terminus Judææ provinciæ contra Septentrionem.* Finitima autem est urbi Beth Rechob, atque a Danitis nomen Dan sortita, qui pristinis incolis funditus deletis eandem incoluere, cum antea vocaretur Leschem s. Lais. *Jos. XIX. 47. Jud. XVIII. 28. 29.*

§. XVI.

§. XVI. Denique, qui Ezech. *XLVII. 15. 16.*
17. & XLVIII. 1. ponuntur termini, a Mosaica descri-
 ptione nequaquam abeunt. Protrahitur nempe ter-
 minus a mari Phoenicio, Chetlonem versus, usque ad
 Zedadam, Chamatham, Berotham & Sibraim, quæ
 inter Damascum & Chamatham, ad Chazar Tichon,
 & Enan, ubi termini orientalis prope Chauran &
 Damascum est initium. Horum locorum nonnulla, ut
 Zedada, Chamatha & Chazar Enon diserte memoran-
 tur *Num. XXXIV.* ut de utriusque descriptionis con-
 venientia dubitari non possit. Tametsi enim hic men-
 tio fiat Chetlonis, Berothæ, Sibraim & Damasci, quæ
 nomina in Numeris non comparent, eadem tamen lo-
 ca confinia sunt Chamathæ. *v. 16.* adeoque nullam
 inducunt diversitatem. Berotha alia, non procul a
 Kedesch urbe Naphtalitica, *Jos. XIX. 37.* distat, teste
 Josepho *lib. V. Antiquit. cap. I.* Sibraim vero cum
 Zoba congruit, licet literæ plane sint diversæ, ut
 plurimæ Hebræorum voces diversimode scribun-
 tur, quarum tamen una eademque significatio. Si
 tamen quispiam Sibraim & Chetlonem recentiora
 ætate Mosis oppidorum nomina esse malit, non re-
 fragamur; mire enim immutatur regionis cuiuslibet
 facies in tanto temporis intervallo seu urbes ipsas, seu
 earum nomina respicias. Quod liquet, si vel hodier-
 nus Palæstinæ aut Græciæ status cum veterum confe-
 ratur descriptionibus.

§. XVII. Si ea, quæ haec tenus diximus, in u-
 num nunc contrahamus, manifestum est, *Palæstinam*
sive terram promissam Syriæ in Austrum subjacere, atque

C

longo

longo Antilibani tractu ad Trachonitidis usque montes ab eadem separari. Scilicet initium terminus capit a mari Phœnicio in Sidoniorum circiter finibus, inde ad varias prope Libanum sparsas urbes Rechobum, Chamatham, Danem & Panæadem juxta Jordanis fontes sitam, excurrens, infra Damasci & Chermonis montis fines subsistit, atque termino orientali jungitur, qui postea meridiem versus ad mare mortuum descendit. Hi genuini sunt limites terræ Cananæorum, cuius amplitudinem Moses Gen. X. indigitat, quamve Deus Abrahamo ejusque posteris benignissime promisit. Hi sunt limites ab ipso Deo Num. XXXIV. designati, a Josua itidem in distributione terræ promissionis observati, ab Ezechiele denique repetiti. Hos intra terminos quæcunque continentur, eorundem hæreditariam possessionem Deus Abrahamo Israëlitisve promisit, quæ vero extra eosdem sita, quantumvis vicina, denegavit.

§. XVIII. In confesso etiam est, Euphratem, majorem illum Asiae fluvium, hosce limites nullibi alluere, sed magna terrarum intercedine ab iisdem disjungi. Interjacent nempe vastissimæ Arabiae desertæ & Palmyrenes solitudines, item integræ regiones, Aramæa, Cœle Syria, Palmyrene, atque in his potentissimæ gentes & urbes. Quarum maxime vicinæ in sacris literis passim celebrantur, ut sunt, Macha, Zobs, Damascus, atque ultra has aliæ longo tractu clarissimæ, Gaana, Jabruda, Paradisus, Laodicea, Danabs, Solaramia, Coara & plures aliæ, quas Ptolemaeus, aliquique Geographi recensent. Quarum in descriptione

(19)

scriptione & distributione terræ promissionis ne ulla quidem poterat fieri mentio , utpote quæ non a maledictis Cananæis possessæ , sed Semí posteris , quales Aramæi procul dubio sunt. Cum ergo Cananæorum fines longe infra enumeratas urbes subsistant , nec Euphrates ita propinquus sit , ut ulla ex parte cum Palæstinæ finibus numerari possit , concludendum est , perperam ab interpretibus terram promissam ad hunc usque fluvium extendi , & vocem hebræam פְּרַת in designatione limitum quidvis potius , quam majorem Asiæ fluvium Euphratem denotare.

§. XIX. Nec est , quod quispiam ad tuendum communem vocis פְּרַת significationem fingat , diversos fines in diversis locis a Deo designari , laxiores primum in promissione Abrahamo facta , postea vero , cum Israëlitæ mandatis divinis resistentes in Ægyptum reverti mallent , atque plurimis aliis gravissimis peccatis sese inquinassent , demum strictiores , Num. XXXIV. Præterquam enim , quod hæc conjectura nullo solido nitatur fundamento ex sacris literis de promto , iisdem etiam contradicit. Diximus supra , non alias quam maledictorum Cananæorum sedes promitti , quæ ultra Sidonem , eique adjacentem Antilibanum non debent protrahi , contra clarissimum Mosis testimonium. Quin & eidem terræ quam Deus Num. XXXIV. definivit , postea etiam Deut. I. 7. item XI. 24. fluvius פְּרַת pro limite assignatur. Quod confirmatur ex collatione Deut. XXXIV. 1. & seqq. atque Jof. I. 4. Scilicet Mosi terram promissionis intrare non licebat , ob peccatum in deserto Zin ad

C 2

aquas

176

agras contentionis commissum. Conspexit tamen eandem ex monte Nebo, nempe universam terram Gileadis usque ad Dan, totam terram Naphtali, Ephraimi, Manassis, Judæ, cet. quam Deus Abrahamo, Isaaco, & Jacobo juramento promiserat, & ad quam ocupandam Josua sese accingebat. Hæc terra, quæ ultra civitatem Dan & sedes Naphtaliticæ in Boream non excurrit, a Deo in Josuæ inauguratione definitur a deserto, termino Palæstinæ meridionali, ad Libanum usque & fluvium magnum, fluvium פרת. Quare tantum abest, ut diversi a prioribus fines hic præscribantur, ut potius certum sit, fluvium פרת in Danis finibus quærendum esse.

§. XX. Sed majorem videtur injicere scrupulum historia belli Davidis cum Hadadesere rege Zobæ, *II. Sam. VIII. I. Chron. XVIII.* Communis nempe est opinio regionem Zoba finitimam esse Euphrati, quippe cuius fluminis in hoc belli negotio expressa fiat mentio. Colligunt hinc amplissimas Syriæ provincias a Palæstina ad Euphratrem pertingentes a Davide subactas atque ita promissionem Abrahamo quondam factam esse impletam. Quod diserte affirmari contendunt de florentissimo Salomonis imperio. *I. Reg. V. 1. 4. II. Chron. IX. 26.* Quæ dubia licet primo intuitu videantur graviora, penitus tamen considerata, nostram confirmant potius, quam evertunt sententiam. Varia autem hic miscentur, quæ ab invicem sunt separanda, ut tam rationes dubitandi, quam nostræ responsiones distincte ab oculos versentur.

§. XXI,

§. XXI. Primum itaque largimur , regionem
 & urbem Zoba a fluvio פְרָת non procul abesse , unde
 & Rex Hadadeser Aramæos trans fluvium habitantes
 commode contra Davidem conduxerit. *II. Sam. X. 16.*
I. Chron. XX. 16. Sed frustra asseritur , regionem Zo-
 ba Euphrati vicinam esse , nec ullo idoneo argumen-
 to stabilitur. Nam de eo , quod fundamenti loco po-
 nitur , nempe פְרָת h. l. Euphratem esse majorem , dis-
 quirendum adhuc est. Deinde ipsi quoque interpre-
 tes mire fluctuant , atque in situ definiendo dissident.
 Josephus , ut antiquitatum Judaicarum , ita plurima-
 rum fabularum conditor , Sophenen appellat , quæ in
 fontibus Zoba dicitur regio , *libr. VII. cap. V.* Est au-
 tem provincia in Armenia majore Sophenes nomine
 celebris ultra Euphratem , Masiūm inter & Antitau-
 rum. *Strabo libr. XI.* Quam si intelligit , uti quidem
 intelligere videtur , gravissime lapsus est , aut certe
 Davides Zobam nunquam subegit. Judæorum alii ,
 prout falso terram promissam Oronti includunt , ita
 non mirum est , eosdem Zobam in Antiochiæ vicinia
 quærere. Propterea Cyrrhesticam , & in ea celeber-
 rimus hodie emporium Aleppo huc trahunt. Quæ
 tamen conjectura a Palæstinæ finibus & rei veritate
 nimium remota. Propiores quidem sunt Syria Cœle
 & Palmyrene , verum situs Zobæ æque incertus , cum
 utraque provincia laxam habeat amplitudinem. Illa
 quoque ad Euphratem non pertingit , hæc ultra Da-
 mascenen longius protenditur , quam ut commode in-
 telligi queat. Certiora hisce ut reperiret III. Bochar-
 tus , ad Arabiam desertam confugit , in qua deprehen-

C 3

dere

dene sibi visus est & Zobam & alteram Zobæi regis ci-
 vitatem Berotha, ex qua Davides magnam æris co-
 piam collegisse dicitur, *II. Sam. VIII. 8.* Alteram qui-
 dem Saben existimat, alteram Barathenam, urbes a
 Ptolemæo memoratas. Sed Sabe Ptolemæi videtur
 esse שׁבָּא non צוֹבָה condita fortasse ab Abrahami ex
 Jacksane nepote *Gen. XXV. 3.* unde & Sabæi. Bero-
 tha, Ptolemæo forte Jabruda, in finibus Palæstinæ
 narratur *Ez. XLVIII. 16.* in vicinia Chamathæ, quam
 rectius hic intelligas. In tanta opinionum varietate
 & nobis integrum erit de genuino Zobæ situ dispicere.
 Existimamus igitur, Zobam finitimam esse Borealibus
 Cananææ limitibus prope Chamatham & Damascum,
 ita quidem, ut ultra hanc se non extenderit. Scilicet
 urbs, quæ *II. Chron. VIII. 3.* חַמְתָּה צוֹבָה dicitur, præ-
 stantissimis interpretibus eadem est, quæ ceteroquin
 sine addito צוֹבָה appellatur. Quod si verum est, uti
 omnino videtur, adjectum vocabulum Chamath satis
 arguit Zobam in Amathitide fuisse sitam. An vero
 περιθετος, *Paradisus*, Ptolemæi aliorumque Geogra-
 phorum, nostra Zoba sit, aliis dijudicandum relinqu-
 mus. Vicinia urbium regiarum Chamathæ sive He-
 liopoleos & Zobæ, ex bello inter Thoi, regem Cha-
 mathæ, & Hadadeserem regem Zobæ suborto, intel-
 ligitur, *II. Sam. VIII. 9. 10.* Idem confirmari videtur
 ex *I. Sam. XIV. 48.* ubi Saul vicinos regno suo hostes
 & inter hos etiam reges Zobæ circumquaque percus-
 sissee dicitur. Ergo Zoba, proxima Cananææ fuit. Ve-
 risimile certe non est, Saulem cum regnum adhuc in-
 firmum esset, victoria sua arma ad Euphratrem cir-
 cumtulisse vel Saben Arabiæ desertæ, qui ne quidem
 inter-

(23)

interjacentes populos Damascenos, Maachatæos cet. subegit. Quare & successor ejus Davides primum Zobæos, *II. Sam. VIII.* 3. postea demum Damascenos succurrentes percussit. *v. V.* In bello quoque Ammonitico Zobæi cum Rechobæis & Maachatæis conjunguntur, *II. Sam. X.* 6. populis citra dubium terræ promissæ proximis, quorum illi prope tribum Aser, hi in confinio dimidiæ tribus Manassis trans Jordanem habitarunt. Nec obstat, quod *I. Chron. XIX.* 6. memoratur אֶרְם נָהָרִים *Syria fluviorum* sive *interamnis*, quæ nequaquam major Mesopotamia inter Tigrim & Euphratem est, sed alia minor inter Jordanis, Eleutheri & Orontis initia, in qua Rechob sita erat, prout etiam expresse dicitur, *II. Sam. X.* 6. Interim tamen apparet, quam vana sit Euphratis & Zobæ vicinia, quæ primo loco ponebatur. Quare & cetera, quæ huic fundamento superstruuntur, fundamento sublato corruant necesse est.

§. XXII. Quod Salomonis imperium attinet, largimur quoque id protensum fuisse מִן הַנָּהָר אֶרְץ פְּלִשְׁתִּים וְעַד גְּבוּל מִצְרָיִם a fluvio ad terram Philistæam ᄀ porro ad fines Ægypti, *I. Reg. V. 1.* Nec diffitemur commode hic intelligi posse eundem fluvium, qui alibi פרת appellatur. Eadem tamen quæstio redit, an nempe Euphrates hoc loco intelligendus sit, an aliis terræ promissæ vicinior. Non fuisse Euphratem constare videtur ex collatione locorum. *I. Reg. V. 1.* ᄀ *I. Reg. XI. 23. 24.* Nam a fluvio פרת ad Gazam usque dominatus est Salomo omnibus regnis כֹּל יְמֵי חַיָּיו omnibus diebus vitae sue. Itaque si Euphrates intelligendus, Damascum

mascum quoque obtinuit. Sed Damasci quæ inter Palmyrenen & Cananæam interjacet, regnavit Re-
son וַיְהִי שָׁטָן רַיְשָׁרָאֵל כֹּל יְמֵי שָׁלָמָה hostis fuit *Israelis omnibus diebus Salomonis.* Deinde *I. Reg. V. 5.* amplitudo regni Salomonæi definitur trita formula, universum nempe Israëlem *a Dane usque ad Beersebam* secure habitasse. Intra eosdem fines concluditur universus Israël *I. Reg. VIII. 65.* intra Chamatham nempe & torrentem Ægypti. Ergo certe Israëlitæ ultra Danem & Chamatham non habitarunt, nec amplissimæ Syriæ provincias inter Jordanem & Euphratem hæreditario jure possederunt. Proinde nec alterum adversæ sententiæ patrocinatur, quando *I. Reg. V. 4.* amplitudo terræ, cui Salomo dominatus eit, describitur a תְּפִסָּה usque ad Gazam, nec Thapsacum Arabiæ desertæ in Euphratis ripa hic locum habet. Urbs in finibus Cananææ fuit, quam Megesaphar alio nomine di-
ctam fuisse verosimile est, in Aramæa, in finibus Damasci & Jordanis. Certe Arabiæ & Syriæ urbes ad Euphratrem vergentes ab Israëlitis nec occupatae, nec iis vicissim eruptæ uspiam in sacris leguntur literis. Sine historia hic quicquam definire, proxima ad infinitos errores est via, nec sola nominis convenientia tantæ rei probandæ est sufficiens. Megesaphar, Μεγασφάρ Straboni, libr. XV. Damasco finitima, meliori jure huc refertur. Memoratur & alias תְּפִסָּה a Menachemo rege Israëlis quondam percussa, *II. Reg. XVI. 6.* Denique Thadmor, quam muniverit Salomo, non Palmyra, ut quibusdam videtur, extra terram promissam, sed juxta alios Thamar, Ptolemæo Τημίρων in terræ promissæ

120
117

promissæ finibus australibus in deserto Judæ fuit, cuius meminit Ezechiel cap. XLVII. 19.

§. XXIII. Sed supponamus tantisper, regionem Zoba Euphrati fuisse finitimam atque plurimas Syriae gentes a Davide subactas, extendatur imperium Salomonæum ad Euphratrem usque, aut si mavis, ulterrius, prout nonnulli Salomonem Indiæ, Æthiopiæ & fere totius orbis regem somniant: Nemo tamen suspicetur, Davidem vel Salomonem hoc ipso occupasse terras a Deo Abrahamo *promissas*, quas posteri olim hæreditario jure possiderent. Solos Cananæos iisdem destinavit, non Aramæos aliosve populos, qui vel ex Semo Israëlitarum quoque Patre, vel Japeto oriundi erant. Neque David propterea Zobæos aliosque populos debellavit, quod jus in eos haberet ex promissione olim Abrahamo facta, sed quod Israëlitas infestarent, eorumque hostibus Ammonitis se adjungerent. Neque plus in eos juris Israëlitis competebat, quam in alios Palæstinæ vicinos populos, Ammonitas, Moabitas, Edomæos, qui, licet palam denegati fuerint posteris Abrahami, nihilominus a Davide ob mota Israëlitis bella sub jugum redacti.

§. XXIV. Firmum igitur atque inconcussum manet, Euphratrem, majorem illum Asiæ fluvium, terræ promissæ limitem non esse, sed alium propiorem, quicunque demum ille sit. Restat nunc, ut eundem investigemus. Quod negotium tanto difficilius, quanto minus alii præivere, quorum legeremus vestigia. Accedit, quod opera Geographica hactenus elaborata, admodum imperfecta sint, quæ nonnisi obscuram vel

D

aliqua-

aliqualem ingenerent notitiam. Neque facile quisquam est, qui fluviorum fontes, cursum & ostia distinet exposerit cum adjacentibus urbibus, nominibus item tum vetustioribus tum recentioribus additis. Deinde pauci, eorum, quæ scribunt, oculati sunt testes, pleraque ex aliorum relationibus hausta, adeoque parum certa. Unde centenæ in Palæstinæ & circumiacentium regionum Geographia fabulæ, quæ, dum alter alterum secure describit, ad seros propagantur posteros, tantum abest, ut vel animadvertiscantur, vel emendentur. Interim operam dabimus, ut ex particulis & fragmentis, quæ habemus, fluvium nostrum פרת illustremus.

§. XXV. Ex superioribus constat, amplitudinem terræ Cananææ in sacris literis describi a septentrione in austrum, aut viceversa ab austro in septentrionem, atque in utroque termino modo hanc, modo aliam urbem, vel etiam fluvium adhiberi. Ita pro termino australi promiscue ponuntur, Gaza & Gerar, Beerseba, torrens Ægypti, aliaque; pro termino Boreali, Sidon, Chamatha, Dan atque fluvius פרת. Sic uti vero in meridionali termino memorata loca a fluvio Ægypti parum distant, ita & fluvium פרת in Sidonis, aut Chamathæ, atque Danis vicinia decurrere, certum est.

§. XXVI. Hos igitur dum lustramus fines, offendimus fluvium satis magnum, ex Libano prorumpentem, qui deinde tribum Aser perfluit, atque inter Sareptam & Tyrum medius in mare Phœnicium illabitur. Meminit ejusdem ex veteribus Geographis Strabo

(27)

Strabo libr. XVI. Διέχει δὲ τῆς Σιδώνος ἡ Τύρος, καὶ πλείστη
τῶν διακοσίων στάδιων. Εἰς τῷ μεταξὺ πολίγυνον, οὔποτε πόλις
λεγομένη, ἐπειδὴ τύρεω ποταμὸς ἔχεισθαι. *Distat Tyrus a Si-*
done nonnisi ducentis stadiis. In medio est oppidum, quod
Ornithon urbs dicitur, postea apud Tyrum fluvius exit. Fluvium adesse diserte testatur, sed ejus nec ortum nec cursum, nec nomen indigitat. Pleniorēm præbent notitiam, quæ Wilhelmus Tyrius quondam Archiepiscopus in libris suis de *bello sacro* passim annotavit. Obsidionem scilicet munitissimæ urbis Tyri prolixius describens, de Damascenorum rege, obsecsis labore continuo fatigatis suppetias laturo, hunc in modum loquitur: *Nunciatur interea quod Damascenorum rex Doldequinus obsecorum epistolis & legatione motus, cum innumera Turcorum manu & copiosissimo equitatu a finibus Damascenis egressus, in diœcesi Tyria secus fluvium castra metatus fuerat. Erat autem idem fluvius a civitate Tyrensi, vix quatuor distans milliaribus. libr. XIII. cap. IX.* Eundem fluvium in eodem capite aliquoties repetit, promiscue & fluvium & flumen eundem appellans. Deinde *cap. XIII.* idem Doldequinus iterata vice ad mare descendisse, ubi & prius fuerat, & circa fluvium Tyro vicinum castra metatus dicitur. Ut nullum superfit dubium, quin flumen aliquod in Tyriorum finibus, quatuor fere a metropoli milliaribus in mare decurrat. Hanc vero distantiam non in Austrum esse versus Acconem sed Sidonem, liquet ex *cap. XXVIII. libr. XI.* Enarrat ibidem quomodo Saladinus locatis castris inter Urbem Paneadensem & fluvium Dan excursoribus missis Sidoniorum fines fuerit depopu-

D 2

latus.

latus. Hierosolymorum rex hostibus obviam procedens ad vicum Mesaphar pervenit, unde, cum in summis montibus esset situs, totam subiectam regionem usque ad radices Libani castraque hostium intueri dabatur. Inde cum copiis suis descendens in planiciem, quæ statim montibus erat subiecta, devenit eum in locum, qui vulgo Mergium appellatur. Saladini excursores, adventu Christiani exercitus percepto, territi ad castra suorum se conferre nituntur. *Transmisso ergo flumine, quod per medium dividit Sidonensem agros & prædictam planiciem, in qua diximus nostros esse, occurrunt nostris.* Deinde Christianorum copiis fugam capessentibus alii in municipium proximum, cui nomen Belfort, se contulerunt: alii flumen transeuntes & ulteriorem ripam secuti, versus Sidonem eentes, confusi, prælii æstum declinaverunt, cap. XXIX. Ex descriptione hac clare innotescit in Septentrionalibus Cananææ finibus cis Libanum non procul a Jordane & Mesaphar flumen esse, deinde vero munimentum Belfort præterlabens inter Tyrum & Sidonem mare mediterraneum ingredi.

§. XXVII. Consentunt cum Wilhelmo & Geographi recentiores, inter quos est Bernhardus de Breydenbach, qui in *opere transmarinæ peregrinationis ad sepulchrum Dom.* sequentia de ejus origine, cursu atque ostio memorat: *De Tyro ad tres leucas modicas contra aquilonem fluvius Eleutherus intrat mare magnum, ad quem usque Jonathas persecutus est regem Demetrium, sicut habetur I. Maccab. 12. Iste fluvius venit de Ituræa sive Galilæa gentium, de confinio illo quod dicebatur antiquitus terra Roob, & postea Zabul, & fluit sub castro Belci-ford,*

ford, quod fuit militiæ templi juxta Horma, usq[ue] quo Iosua persecutus est quinque reges, sicut dicitur Jos. X. De isto fluvio ad duas leucas est Sarepta Sidoniorum. Hisce gemina tradit Joann. Cotovicus in Itinerario Hieros. & Syr. libr. I. cap. XVIII. Secundo a Sarepta lapide Austrum versus Eleutherus fluvius ex Libano monte in Ituræam fluens, inter Tyrum & Sareptam mediis in mare illabitur, cet. Quod Autores hi de Ituræa tradunt, veritati minus consentaneum videtur, cum a præstantissimis Geographis trans Jordanem collocetur. Ceterum plura Autorum testimonia hic cumulare non est operæ pretium, cum & reliqui agnoscant fluvium; eundemque magnum, profundum admodum & sexaginta passus latum esse profiteantur. Conf. Ol. Dapperi Syriam p. 82.

S. XXVIII. Suboritur tamen circa nomen fluvii difficultas non contempnenda. Strabo & Wilhelmus Tyrius nomen non addiderunt, recentiores vero plerique Eleutherum appellant. Imo Strabo & Ptolemæus ad Septentrionem magis inter Antaradum & Orthosiam ostia fluvii alicujus Eleutheri referunt, qui Seleucidem a Phœnico distinxerunt. Distantia Sidonis ab Orthosia evincit, dictorum Geographorum fluvium a nostro diversum esse. Nec forte erraverunt, circa cursum & nomen fluvii, ut circa Jordanem aliosque fluvios & urbes saepius factum. Propterea tamen nequamquam asserendum videtur cum Cellario in Notitia Orbis Antiqui Tom. alt. libr. III. cap. XII. p. 456. fluvium prope Sareptam falso Eleutherum dici. Idem potius uterque fluvius nomen habuit. Quando nem-

(30)

pe Jonathan Judæorum dux Ptolemæum regem Ægypti ad fluvium Eleutherum comitatus dicitur, *I. Macc. XI.* 7. commodius intelligitur Palæstinæ fluvius limitaneus, qui inter urbes Τύρον & Sidonem decurrit, quam alter Strabonis prope Orthosiam. Quod clarius patet ex *I. Macc. XII.* 24. & seqq. Jonathane enim cum rege Antiocho juniore contra Demetrium throno dejectum fœdus ineunte, Demetriani contra Judæos pellum parabant, ingenti militum numero collecto. Ante tamen quam hostes in Judæam irruere possent, Jonathan illis obviam procedit versus septentrionem in regionem Chamathæ ad ripam Eleutheri. Ibi exploratoribus missis ad expiscandum vicinorum hostium consilia, comperit eosdem insulatum nocturnum moliri, adeoque copiis suis edicit, ut in armis sint & ad prælium parati. Hostes conspecta Judæorum vigilantia & promtitudine, timore perculti ultra fluvium Eleutherum fuga se proripiunt, ut & Jonathan sequenti die fugientes assequi non potuerit. Diserte hic memoratur Amathitis regio, ita dicta a metropoli Chamatha, Heliopoli, Amathunte, quæ ut §. IX. diximus & ipso Cellario teste, ad Libanum in finibus Rechob & Danis sita, longissime reducta est ab altero Eleuthero, Orthosiam præterlabente. Sed nostrum regio illa attigit fluvium ad Austrum: Inde commode eadem nocte fuga ultra Eleutherum se recipere poterant Demetriani. Atque hæc cum clara & aperta sint, plura de nomine non cumulabimus testimonia.

§. XXIX. Quæ hæc tenus de fluvio Eleuthero diximus apprime quadrant in fluvium פְּרַת, qui in Palæstinæ

læstinæ finitione celebris est. Hebræus nempe פְּרָת citra omnem controversiam terræ promissæ fluvius est limitaneus & quidem septentrionalis, in finibus Danis Chamathæ atque Sidonis, ut §. V. & XXV. luculenter ostendimus. Itidem Eletherus ex radicibus Libani effusus, ab oriente in occidentem per Chamathæ & Rechobi fines fertur, deinde inter Tyrum & Sidonem mediterraneo mari se insinuat. Itaque concludas Hebræum fluvium פְּרָת Eleutherum potius esse, quam Euphratem, tanto intervallo a demonstratis Cananææ terminis disjunctum.

§. XXX. Idem fluvius Eletherus commodissime intelligitur in bello Davidico cum Hadadesere, cuius a nobis supra est mentio facta. Nimirum Davides percussit את הַדָּעֵזֶר מלך צוֹבָה חֲמָתָה Hadaderem regem Zobæ ad Chamatham usque I. Chron. XVIII. 3. Sive urbem hic in Amathitide sitam sive tantummodo prælium in dicta provincia commissum intelligas, perinde est: Amathitis certe ab Euphrate longius dissidet, Eleuthero vero proxima ad Austrum. Quare tuto assertur, Davidem arma sua victoria circumtulisse ad Eleutherum, non Euphratem; item Hadaderem copias trans Eleutherum collegisse. Omnem denique scrupulum, qui premere adhuc poterat, eximit bellum Jonathanis cum Demetrianis, supra a nobis adductum. Manifesta ibidem Chamathæ, manifesta itidem Eleutheri prope Chamatham decurrentis mentio, ut Euphrates merito exulet. Denique rectissime dixeris, Salomonem ab Eleuthero ad torrentem Ægypti imperium obtinuisse.

§. XXXI.

¶ 182

§. XXXI. Hæc luculenta satis demonstratio, per
 פְּרָת in memoratis locis *Euphratem*, magnum Mesopo-
 tamiae flumen, neutiquam intelligi aut intelligi posse :
 Commodius vero ad *Eleutherum* illum Palæstinæ referri.
 Quod si tamen animus sit, attendere ; quod ab Helio-
 poli seu Chamatha vel Amathunte, oriatur fluvius Syriæ
 magnus, *Orontes*, versus Aquilonem fluens, totamque
 Syriam secans, universæ historiæ laudatæ, quæ fines
 Canaanis promissos tangit, per belle accederet. Promissa
 Cananæorum terra Abrahamo, a fluvio Ægypti Sichor,
 usq; ad fluvium, fluvium magnum, fluvium פְּרָת, *Oron-
 tem*, sive usque ad fontes *Orontis*, ad Libanum. Per-
 inde adeo, sive dicatur, *finis Cananææ Chamath* aut A-
 mathus, Heliopolis ad Libanum : sive dicatur, *finis Ca-
 nanææ ad Orontem usque*, puta fontes ejus : Cum
 Chamath & *Orontis* fontes haud longe distent. Da-
 bimus hic tantisper optionem solerti lectori, sive Eleu-
 therum circa limites Cananææ ultimos, sive *Orontis*
 fontes prope Chamath malit. Haud certe utrique fon-
 tes Eletheri & *Orontis* distiterint, nisi quod *Orontes*
 fluueret ad Aquilonem, Eletherus ad Austrum & Occi-
 dentem. Certe tres fontes trium fluviorum in Libani
 radicibus vicinis, Jordanis, qui fluueret ad Orientem &
 Austrum, Eletheri qui ad Austrum & Occasum, *Oron-
 tis* qui ad Aquilonem. Levis differentia, modo *Oron-
 tis* intelligantur initia.

§. XXXII. Ceterum non diffitemur, aliquando
 in sacris literis *Euphratem*, majorem illum Asiæ fluvium
 voce פְּרָת denotari, uti citra controversiam *Jerem. Ll. 63.*
Euphrates Babylonem alluens intelligendus est, & forte
 etiam

180

etiam alibi. Sed e contrario in nonnullis aliis quoque Scripturæ locis Euphrates perperam admittitur, quæ ob præsentis instituti brevitatem alias discutiemus. Secure nimium admissa est haec tenus de Euphrate opinio, quæ adeo altas egit radices, ut interpretes modo qualiscunque mentio iniciatur fluvii cujusdam, statim suspicentur Euphratem. Exemplum indubitatum præbet cap. XI. libr. I. Macc. Ptolemæo nempe mortuo & rege Demetrio fugato, imperii fasces obtinuit Antiochus junior, qui principatum Jonathanis confirmans eidem quatuor præfecturas concessit, Simonem vero Jonathanis fratrem constituit ducem a tractu Tyri, qui ad Eleutherum est, ad terminos Ægypti v. 57. 59. Deinde v. 60. Jonathan dicitur transivisse flumen, non addito nomine ejus, ad colligendos e Syria & Phœnico contra Demetrium milites, conf. Jos. ant. libr. XIII. cap. IX. Qui quidem flumen in Germanica versione pro Euphrate habetur, sed perperam. Viciniorem longe fuisse, suadet expressa Phœnices mentio, & vel Jordanem uti nonnulli Interpretum autumant, vel eundem, qui superiori vers. 7. Eleutherus dicebatur.

§. XXXIII. Porro observandum, uti multos alios errores, ita etiam de Euphrate opinionem a Judæis ad Christianos dimanasse. Forent certe Judæorum testimonia alicujus momenti, si Geographiæ & patriæ historiæ satis essent periti, nec fastu immodico turgent. In captivitate Babylonica & inter tot tristia sequentia bella bonis literis inimica, cum lingua vernacula suas etiam res Hebraice consignatas paulatim amiserunt, ita ut ipsi, non secus atque nos linguam sacram

E

ex præ-

ex præceptoribus addiscere, genuinumque V. Testamenti sensum indagare teneantur. Quod indubitatum est, & frequentes Judæorum in versionibus dissensiones, atque circa genuinas vocum significationes lites luculentius testantur. Errores quidem aliquot Geographicos supra annotavimus, plures addi possent Judæorum ineptiæ, quod nempe vetusta vocabula, antiquissimarum urbium signa, ad novas urbes imperite ac ~~anisognitas~~ applicent, si operæ foret pretium. Accedit intolerabilis illorum arrogantia, qua aliena deprimunt, sua vero ultra modum extollunt. Qui non vereantur Scripturæ effata alio spectantia in suas partes trahere, quæcunque ullo modo ad hodiernam & pristinam majorum dignitatem & potentiam celebrandam facere videntur. Propterea satius est, Judæis nequaquam in his fidere, nostrisque potius quam alienis oculis uti.

§. XXXIV. Deinde vocabula פְּרָת & Euphrates sono quidem convenient, non tamen nuda nominum convenientia sine aliarum rationum pondere eandem infert significationem. Admitti certe nonnunquam debent argumenta ex vocum similitudine petita, si alia non suppetant aut cetera paria sint, quemadmodum Ill. Bochartus conjecturas suas geographicas stabilire annifus est. Si tamen rationes aliæ urgentes obstant, ut in nostro negotio, quæ contrarium evidenter doceant, infirma sunt & nulla. Ita perperam colligas celebratam Salomonæis navigationibus Ophiram, Americæ regionem Peruvianam esse, sine Geographiæ & historiæ luce, quæ recentiorem & fortuitam τῆς Peru denominacionem monstrat. Ita Josephus quoque male Zobam Sophenem

phenen existimat. Tantum igitur abest ut nominum convenientia hac in controversia aliquid lucis afferat, ut potius caliginem interpretibus offuderit, quo minus de rei veritate inquirerent.

§. XXXV. Denique sententiæ nostræ plurimum obesse videtur autoritas virorum celeberrimorum, qui continua traditione & unanimi quasi consensu Euphratem tuentur. Longæ quidem possessionis prætextus, desperatae ut plurimum causæ indicium. Autoritas quoque humana errori obnoxia est, quæ nisi regulis limitibusve suis circumscribatur, veritati fucum facit atque errores semel admissos ad securos posteros propagat. Quemadmodum vero nos quemlibet suo abundare patimur sensu, ita nec nobis vitio vertendum, si hoc ioco ab aliorum sententiis abeamus. Non enim requirimus, ut quisquam nobis afferentibus fidem habeat, quin potius rogamus, ut nudis aliorum testimentiis plus æquo non deferat, allatas rationes bene ponderet, atque tum demum, quam ipse meliorem deprehenderit, felicitat sententiam.

Quae bona naufragiis periere ortisque procellis,
Immersus fluvii capit urinator abyssō;
Tu jam doctrinae thesauros, Optime Blumi,
Quos undis mersos imis docuere vetusti,
Promis, quod grator, sensum de flumine fistens.

*Paucis hisce Nobilissimo DN. BLVMIO de primis
Academicis gratulari voluit*

**Io. Andr. Schmidt D. PP. Ordinis
Theol. Senior & Abbas Mariae Vallensis.**

E 2

Quo

Quo melior cultura bonis accesserit hortis,
 Hoc etiam fructus lætior esse solet:
Quisquis & ingenium juvenilibus excolit annis,
 Tempore venturo quo recreetur habet.
Tu patro decori profers flores velut horti,
 Perpolis ingenium sedulus arte bonum.
Doctrinæ ac studiis socias probitatis amorem,
 Tales, non alias vult tua Flora rosas.
Jam monstrans flores, carpentes porriget olim;
 Ut sua, quod peperit, non tenet arbor onus.
Comprecor, haud cesset summum benedicere Numen,
 Nil non ex votis finiat ille tuis.

*Nobilissimo & Eximio DN. BLVMIO Com-
mensali suo suavissimo L. M. Q. F.*

Christophorus Henricus Ritmeier D.P.P.

Qvas velit inclusas promisso limite terras,
 Et quô signârit fœdera in amne Deus,
 Metiris calamo doctrinæ flumine tinto.
 Sed quare hæc patrii jugera magna soli
Contrahis Abramo? cur te, *Sua-vissime Blumi*,
 Non tenet Euphratis floridus ille situs?
 Scilicet hæc causa est, ex quâ tibi sponte virescens,
 Amplior & tantô campus honoris erit.

*Nobilissimo ac Prastantissimo DN. BLVMIO
Amico suo dilecto gratulationis ergò scrib.*

J. C. Schrammius
Th. D. & Prof. Publ.

F I N I S.

Coll. diss. A. 85, misc. 28